

one, ita ut omnes habeant proprium ac peculiare esse tum essentia-
rum existentie distinctum ab esse fundamenti. Et citat pro sua sen-
tentia *Chrysof. Javellum V. Metaph. quest. XXII.* (Sed an Javel-
lus hac in parte cum Fonseca faciat, valdè dubitamus) & *Sorum*
in prædicam. cap. de Relat. quest. II.

§. IV. Quamvis autem hi autores diversas foveant opini-
ones: in eo tamen omnes conveniunt, quòd inter fundamen-
tum & relationem à parte rei & citra mentis operationem quæ-
dam distinctio intercedat: & possunt pro hâc assertionem sequentia
proferri argumenta. I. Quorum unum potest esse sine altero, il-
la differunt realiter (juxta *Arist. VII. Topic. cap. I. text. XVI.*)
Sed fundamentum & relatio ita se habent ut unum eorum possit
esse sine altero. E. fundamentum & relatio differunt realiter.
Major clara est. Minor probatur, quia fundamentum relationis
adest antequam fiat relatio, e. g. adest albedo priusquam fit simi-
litudo cujus fundamentum albedo est. II. Si relatio prædica-
mentalis non differt realiter à fundamento, sequitur quòd relatio
sit non ens. Posterius est falsum. E. & prius. Consequentia pro-
batur. Nam quando homo fit pater, aut acquirit novum esse
reale aut non. Si prius, relatio erit res distincta realiter à funda-
mento, quia fundamentum prius adfuit quàm adveniret relatio.
Sin posterius, relatio erit nihil. III. Quicquid nemine cogi-
tante in sua essentia involvit terminum, illud differt realiter à
fundamento relationis. Atqui relatio nemine cogitante in suâ
essentia involvit terminum. E. relatio differt realiter à funda-
mento suo. Minor probatur, quia nulla res potest esse relatio,
nisi involvat terminum quem respiciat. IV. Quicquid potest
esse substantia, illud non potest esse realiter idem cum relatione.
Sed fundamentum relationis potest esse substantia. Ergò funda-
mentum relationis non potest esse realiter idem cum relatione.
Major patet, quia relatio est accidens prædicamentale, accidens
autem non potest esse substantia. Minor probatur quia v. g. rela-
tionis, quâ creatura refertur ad creatorem, fundamentum est
ipsa creaturæ substantia. Vid. *Suarez Diss. Met. XLVII. Sect. VII.*
n. IV. & Ruvio in lib. Categ. Cap. VII. de ad aliquid quest. X.
Scheiblerus lib. II. Metaph. cap. IX. tit. V. art. III. punct. 1. n. 40.